

stus est DEUS, Christus est Homo; vel ab utraqve, ut Christus est Θεός & homo. Qvædam v. agunt de communicatione Idiomatum, & hæc vicissim sunt variae, juxta varia communicationis Idiomatum genera. Ex his jam dictis facilè liquet, qvalis sit hæc Propositio: *Verbum vitæ est visum, auditum, & manibus contrectandum*, nimir. inusitata & à personalibus orta, qvæ agit de communicatione Idiomatum, & spectat ad primum Communicationis Idiomatum Genus, sc. idiomatum, ubi idiomata Humana tribuuntur Deo, E. attribuuntur λόγῳ id est Filio DEI, per & propter unionem illam personalem, juxta Reg. Theol. *Quod uni unitorum competit per se, id alteri competit per & propter unionem illam personalem.* At jam Humanæ Christi naturæ competit hæc propos. qvæ in textu habetur per se. E. Divinæ ipsius naturæ competit per & propter istam unionem duarum Naturarum Humanæ sc. & Divinæ.

**Q. IV. Cur Filius Dei dicatur λόγος?** Resp. (1.) Filium Dei septies à Johanne λέγοι dici, utpote Joh. 1. 1. ubi ter λόγος appellatur: *In principio erat sermo & verbi 14. semel. Verbum caro factum est. Sic 1. Joh. 1. 1. Quod erat ab initio &c. iterum semel. Item 1. Joh. 5. 7. quoque semel: Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Sp. S. Apoc. 19. 13. etiam semel: Et vestitus erat ueste sanguine tincta; & vocatur nomen ejus sermo Dei.* 2. λόγος enim seu sermo vocatur ἀρχὴ ob æternam à Patre generationem. Διδάσκων vero seu secundariò ob temporalem voluntatis Divinæ revelationem. Qvod autem ob æternam à Patre generationem πρότερος λόγος appelletur duabus probatio rationibus; Nam (a) Jam λόγος erat in principio ante omnem revelationem. Joh. 1. 1. Et Sapientia de initio viarum Domini per & propter æternam generationem hyperphysicam: Prov. 8. 22. 24. (β) Ratione hujus enim generationis hyperphysi. convenientiam quandam habet λόγος Dei cum λόγῳ nostro καὶ τῷ ἐστι absolutè & secundum esse substantiale. Qvoad Revelationem vero voluntatis Divinæ καὶ τῷ ἐστι, ad extra relatiè, adeoqve secundum respectum accidentalem; Inde hoc Porisma notandum venit; *Quod magis λόγος dicatur, quam filius Dei est, quamquam quod Patri legatus, & magis λόγος dicatur ob æternam à Patre generationem, quam ob temporalem voluntatis Divinæ revelationem & patefactionem.* Consequens est manifesta;

Nam